

CHRISTOPHERVS VENNINGERVS PALATINI CONSILIARIVS.



Christopherus ex nobili familia Venningerorum in Palatinatu Rhenensi natus, & optimè educatus est. Is à pueris literis operam dedit, & mediocrem earum usum sibi comparauit. Postea quoque militaribus studijs animum adiecit, atque belli & pacis tempore clarissimus euasit. Id cum elector Palatinus cognouisset, eum inter consiliarios admisit, et ob magnum rerum usum suo nomine uarias domi atque foris res administrare iussit. Cum autem Carolus Cæsar 1545 cum Protestantibus per Granuellatum & Nauium serio de Concilio & bello Turco ageret, Protestantes hunc Christopherum ordinarunt, ut illis responderet, et amicè cum ipsis (quoad fieri posset) transigeret. Pari ratione quoque eodem anno, cum Gallus & Anglus grauissimum bellum coepissent, Protestantes hunc Christopherum ad regem Galliarum legatum miserunt, ut suo nomine intercederet, & pacis consilia suadere. Id quod ille magna dexteritate perfecit, atque ob multas animi & corporis virtutes sibi magnam apud principes autoritatem comparauit. præsertim cum ipsi pietatem amaret, & suo exemplo reliquos nobiles ad uirtutes excitaret. Annonim.